



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

Caput III. Quo modo solari ægrum animare debeat Amicus fidelis in difficultatibus ac molestiis morbi tempore occurrentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

## CAPUT III.

*Quo modo solari egrum animare debeat  
Amicus fidelis in difficultatibus ac mo-  
lestis morbi tempore occurrentibus.*

## §. I.

*Quo modo animandus eger adversus dif-  
ficultates, quas habet ut se comparet ad  
mortem.*

**B**ene, prudenterque orabat Pro-  
pheta, cum diceret: a *Cum dese-*  
*terit virtus mea, ne derelinquas me.* Cum  
enim dolorum aculeis attritæ vires,  
& vividæ mentis acies retusa, atque  
adeò ratio ipsa quasi prostrata est, tū  
demum stygius ille juratusque hu-  
mani generis hostis ideò longe quā  
antea, ferocior est, quòd videat su-  
premum hoc sibi fore cum inimico  
certamen, in quo, nisi vincat, vin-  
cendi in posterum spes omnis & oc-  
caso præcisa est. Hic enim est ulti-

mus humanæ vitæ, veluti fabulæ, a-  
ctus, qui, vel æterna felicitate, vel  
æterno animæ exitio concludetur.  
Ut mirum non sit, veteratorem il-  
lum, cui nomina mille, mille nocen-  
di artes, nullum non movere lapidē,  
quo miser homuncio in decretorio  
extremæ diei momento, quasi  
navis in portu naufragium patiatur,  
a *Va terra & mari* (clamat Joannes,  
quia descendit diabolus, ad vos habens i-  
ram magnam, sciens quod modicum tem-  
pus habet. Eò impensius nobis ani-  
mandus est æger, conandumque au-  
te omnia ut moriendi necessitatem  
patienter ferat : *Levius sit patientis  
quidquid corrigere est nefas.*

1. Dicat Amicus fidelis nos à Deo,  
gratis quidem vitam accepisse, sed  
hac lege, ut eam reposcenti, omni  
temporis momento redderemus.

2. Consideret feralem hanc mor-  
tis legem jam inde a primis mundi  
incubabulis, in omnes omninò Ada  
posterorū latam esse. Quam legem, n-  
nesci

nesciremus, vel temporis vitio obli-  
visceremur inculcat Apostolus ad  
Hebr. c. 9. *Statutum est hominibus semel  
mori.* Te igitur hominem esse me-  
mineris & queri desines. Ideò nimi-  
rum provida Mater Ecclesia, quo-  
tannis filios conditionis suæ admo-  
net, cum eos ad domum pulveris re-  
mittit, dicens: *Memento homo quia pul-  
vis es, & in pulverem reverteris.*

Videtur rerum natura quod gra-  
vissimum fecit, commune fecisse, ut  
crudelitatem fati consolaretur æ-  
qualitas: quis autem queri possit in  
ea conditione se esse, in qua nemo  
non est? a

Non igitur à viro prudenti me-  
tuenda est mors, sed quam ratio-  
ne perferri debeat & subiri, mature  
prospiciendum, ut cum venerit il-  
lius hora, interriti illi occurramus.

Nemo tam imperitus est, in-  
quit idem Seneca, ut nesciat sibi,  
quandoque moriendum, tamen,  
cum prope accesserit, tergiversa-

E 2

TUR

Seneca.

„tur, fremit & plorat. Quid fles mi-  
 „ser, quid trepidas? omnes hae ne-  
 „cessitate ducuntur: eò ibis quò  
 „omnia eunt, ad hanc legem natus  
 „es: hoc Patri tuo accidit, hoc ma-  
 „tri, hoc majoribus, hoc omnibus  
 „ante te, hoc omnibus post te. Quã-  
 „tus te populus moriturorum se-  
 „quetur, quantus comitabitur?  
 „multa millia hominum, hoc ipso  
 „momento quo tu mori dubitas, a-  
 „nimam variis mortis generibus e-  
 „mittunt. An non putabas te ad id  
 „aliquando perventurum, ad quod  
 „semper ibas? Hæc omnia, aut seor-  
 „sum ex his aliqua moribundo sug-  
 „geri poterunt. An author displicet?  
 sanctiorem accipe.

Non durum putemus quod uni-  
 versos manet, inquit Ambrosius,  
 quid absurdus, quàm ut id quod  
 scias omnibus esse præscriptum, quasi  
 speciale deploras? aut quid impru-  
 dentius quod futurum scias, id cum  
 acciderit ferre non posse? non est

gravis

*Ambt. l. i. de fide Resurr.*

gravis subeundus mœror secundum naturam, ne excellentiorem aliquam naturæ conditionem nobis arrogare videamur, aut communem recusare.

3. Dicatur Ergo Divinæ Providentiæ oculos esse nostris longè perspicaciores, eosquæ videre clariùs quid animæ nostræ rationibus magis expediat, nos igitur Deo fidèter committamus: ille, ut in hanc vitæ militiam veniremus, quando voluit, signum dedit, quando receptui, signum alterum dare voluerit, nec gravare, nec cunctanter pareamus. Benè libranda est ista Chrysoſtomi assertio: Boni, inquit, tunc decedunt, ex hac vita cum meliores sunt:,, mali verò, cum minus mali quàm,, futuri essent si diutius viverent.

Quid est amabo, quamobrem tantoperè mortem metuamus? An quia *linquenda tellus, & domus, & placens uxor?* sic existimo audio enim morientem moriendo morti improperantem: à *Sicc. ne separas amara mors?*  
 2 I. Reg. 15. Eccl. 41. E 3 ô mors.

*o mors. clamat alter, quam amara est  
 memoria tua homini pacem habenti in  
 substantiis suis. sive sint illæ divitiæ,  
 sive honores, sive voluptates, sive  
 uxor, sive liberi, sive amici, sive  
 alia ejusmodi, quæ vitæ amatores  
 appellant bona. Nimirum, quod im-  
 pensius aliquid diligitur, hoc gra-  
 vatiùs relinquitur. Si quid miraberis,  
 pones in vitis. Quare non audimus  
 Joannem? a Nolite, ait diligere mun-  
 dum, neque ea quæ in mundo sunt. Mun-  
 dus enim transit & concupiscentia ejus; qui  
 autem facit voluntatem Dei, manet in æ-  
 ternum. Profectò si rerum mundana-  
 rum pretia, brevitatem temporis & sti-  
 memus, vilissima sint oportet, quæ  
 non horam, nec momentum habent  
 certum.*

Apud Judæos, quoniam contra-  
 ctus ex legis præscripto ad certum  
 diem præfiniebantur, quo temporis  
 intervallum erat minus, hoc levior  
 erat rerum indicatura. Quanto igitur  
 viliora nobis esse debent munda-  
 na

a 1. 10. 2.

na omnia, tam fluxa, tam brevia, tot casibus obnoxia? & ut casus nullus eripiat, avara mors, velimus, nolimus; pro certo nobis ereptura est.

4. Aperiendus est potius alter animi oculus, & considerandum sedulo, quantis nos, quam gravibus incommodis, ærumnis, & calamitatibus mors absolvat. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis*, inquit Jobus. ,, A quibus cum mors absolvat omnes, ait, Ambros paucos tamen delectat: ,, sed non hoc est mortis vitium, sed, nostræ infirmitatis, qui voluptate, corporis & delectatione vitæ hujus capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus, amaritudini, quam voluptatis, est. Cyprianus verò, quid aliud inquit in mundo quam pugna, quæ adversus Diabolum quotidie geritur? assidua nobis est cum avaritia dimicatio, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione: si avaritia pro-

strata est, exurgit libido; si libido  
 cumpressa est, succedit ambitio; si  
 ambitio contempta, ira exasperat,  
 inflat superbia, vinolentia invitat,  
 invidia concordiam corrumpit, a-  
 micitiam zelus abscindit, &c. sub-  
 dit postea: Et tamen delectat hic  
 inter Zabuli gladios diu stare,  
 cum magis concupiscendum sit  
 ad Christum, subveniente citius  
 morte, properare. Notum est il-  
 lud Salustii: in luctu atque mise-  
 riis mortem ærumnarum requirere,  
 non cruciatum esse duco. Censeat  
 hoc, absque Christo, Salustius, &  
 non censeat Christianus? Atqui de  
 hoc, non item de illo canit Prophe-  
 ta Regius: a *Cum dederit dilectis suis  
 somnum, ecce hereditas Domini filii mer-  
 ces fructus ventris.* Id est, cum Domi-  
 nus Deus fideles Christianos, cha-  
 ritatis vinculo colligatos, ideoque  
 sibi dilectos, ad mortis usque confi-  
 nia, tam suaviter deduxerit, ut mors  
 placidissima somno quem morti vi-  
 dea-

Psal. 128.



jussus est, cum suo illo flammeo versatilique gladio, & sanctè deinceps morientibus liberum in cælos aditū permittere. Est ergo, est unde cum Davide lætus concinas: *Latus sum in his quæ dictæ sunt mihi, in domum Domini ibimus, & quidem absque mora, nisi quam tu ipse attuleris.*

In morte carcer panditur, quid trepidas exire? huc usque captivus detinebaris, nunc liber eris, nunc patebit carcer, evola. Carcerem suum nemo sanus amat.

Illud saltem à te modò impetrè, ut Domini Dei tui voluntati sicut servum decet, te lubens accommodes, in utrumque paratus, seu vitam vivere longiorem, seu vitam quam primùm defungi.

Immo verò Divinæ Bonitati grates age maximas, quòd immerenti tam longam vitæ usuram concesserit, spatiumque indulgeat etiamnum, quo præteritos annos, ante plangas paululum, quàm viam universæ carnis, sive terræ mortis opertæ caligine ingrediaris. s. Vo-

5. Volvat itidem animo, quàm  
multi vitam à primo limine vix salu-  
tave in: quàm multi in adolescentiæ  
juventutisque flore defloruerint.

*Sic ego, sepè rosas, sic vda papavera  
vidi,*

*Candida sic primo lilia vere mo-  
ri.*

Perat ab ægro an non multos coæ-  
vos, sibi que familiaritate aut sangui-  
ne junctos noverit, qui jam pridem  
ex hac luce subtracti sint. Pellantur  
istæ ineptiæ penè aniles, inquit,  
Cicero, ante tempus mori mise-  
rum esse: quod tandem tempus?  
naturæne? at ea quidem dedit u-  
suram vitæ tamquam pecuniæ nul-  
lâ præstitutâ die. Quid est igitur,  
quod querare si repetat cum vult?  
ea enim conditione acceperas.

Cato senior, apud Ciceronem, di-  
cebat senectutem eo nomine jucun-  
dam sibi videri, quòd propiùs ad  
mortem accederet, spemque certam  
faceret aliquando tandem in portum  
longa navigatione veniendi.

Sæpè cogitandum est, nos non habere civitatem æ permanentem, sed futuram inquirere.

6. Audio quid dicas: velim idèd mihi vitam prorogari ut melior evadam.

Cave ne vita longior faciat te deteriore. Natura nostra ad malum multò quàm ad bonum proclivior: idèdque metus major esse debet minoris frugis, quàm spes majoris; non refert quàm diu vixeris, inquit Seneca, sed quàm bene. Accidit autem plerumq; inquit Augustinus, ut qui crescit ætate, crescat & iniquitate.

„ Ambrosius autem: quid tanto-  
 „ perè, inquit, vitam istam desideramus in qua  
 „ quantò quis diutius fuerit, tantò majore oneratur sarcinâ peccatorũ. Sufficiat diei malitia sua. Ejus est diu in mundo vel-  
 „ le manere, quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens at-  
 „ que decipiens illecebris terrenæ voluptatis inritat: b Por-

*Hob. 13. b Cypria*

10

rò cum mundus oderit Christia-  
num, quid amas eum, qui te odit?  
& non magis sequeris Christum,  
qui te redemit & diligit?

An nescis signum esse divini amo-  
ris, citò eripi è medio iniquitatum?  
audi Scripturam: a *Quia placens Deo  
factus est dilectus, & vivens inter peccato-  
res, translatus est: raptus est ne malitia  
mutaret intellectum ejus: placita erat Deo  
anima illius, propter hoc properavit educe-  
re illum de medio iniquitatum.*

Hæc, & similia solatio esse pore-  
runt acerba morte decedentibus,  
maximè si bene apprehenderit vi-  
tam breviorē posse esse animæ ma-  
gis salutarem.

Ludunt in cæli viridariis, palma &  
coronis nobiles innocentes pueruli,  
quos lucis primo in limine Christi  
insecutor sustulit seu turbo nascen-  
tes rosas. Quis novit an vita prove-  
ctior aliquos è floribus illis non de-  
cuteret?

E 7

Quid

a Sap. 4.

Quid Agneti virgini tenerrimæ  
 annus decimus tertius obfuit? quid  
 Catharinæ decimus octavus? Sem-  
 ,, per dies paucierunt, si illos nu-  
 ,, meraveris, inquit Seneca, nec mo-  
 ,, rá sit vita beatior, sed longior,  
 ,, Quantò satius est non aliorum an-  
 ,, nos computare, sed suos benignè  
 ,, æstimare & in lucro ponere: hoc  
 ,, me vitæ tempore dignum judica-  
 ,, vit Deus? satis est? potuit plus, sed  
 ,, hoc quoque beneficium est.

— a *Exacto contentus tempore vita.*

*Cedat, uti conviva satur.*

7. Quod si Sanctorum oculos ha-  
 beremus, longè aliam de morte o-  
 pinionem conciperemus. Quid Pro-  
 pheta Regius? Quid Paulus? *Hes-*  
*mih*, inquit ille, *quia incolatus meus*  
*prolongatus est! hic verò: Cupio dissolvi*  
*& esse cum Christo.*

,, O vita longa! nimiumque lon-  
 ,, ga! ubi non vivitur, aiebat gemens  
 ,, Terefia. O mors quæ vitam par-  
 ,, turis! quis te jure metuat, eum vi-

**CAM**

a *Horas.*

tam parias? quidquid querantur,,  
 vitæ amatores, quàm longa est,,  
 hominis vita! brevis est, fateor, &,,  
 si res benè suis momentis expen-,,  
 datur, brevior est quàm ut tantil-,,  
 lo tempore homo mereri possit tã,,  
 longam beatitudinis æternitatem;,,  
 longa tamen ei, cui sine Deo suo vi-,,  
 vere mors est continua, & non vita.

*Mors Christianis ludus est*, inquit  
 Prudentius: Et ne ullus ludum hunc  
 expavesceret, ita cecinit:

*a Non est credite, poena quàm videtis*

*Qua puncto renuit, citata transit,*

*Nec vitam rapit illa, sed reformat.*

Siquidem optimo cuique idem feli-  
 citatis principium est, qui finis mor-  
 talitatis.

Pater Suarez, moriens dicebat se  
 mortis imaginem contemplari, & si-  
 bi longè pulcherrimam videri.

Catharina Genuensis ita mortem  
 non abhorrebat, ut eam, quibus po-  
 terat verborum blanditiis quasi  
 procaretur: mors suavis, mors for-  
 mosa,

*a Prudentius.*

2, mofa, mēne ergo unam delegifti in  
 2, quam parcendo tam crudeliter de-  
 2, ſævires? cæca ſis licet, videre ta-  
 2, men haftenus potes, quàm ego te  
 2, efflictim depeream. Pace tua dix-  
 2, rim hoc unò peccas graviter, quæ-  
 2, rentes te, tuamque operam incla-  
 2, mantes ſurda aure præteritis, te  
 2, verò remis velisque fugirantes, uſ-  
 2, que & uſque, moleſta inſequeris,  
 2, uſque dum aſſequeris.

## §. II.

*Quomodo Amicus fidelis agrum animæ  
 ad fortiter ferendos ſuperandosque  
 morbi dolores.*

**V**T morbi diuturnitate corpuscu-  
 li vires minuntur, ita creſcunt  
 dolores, languentemque ita miſerè  
 interdum diſcruciant, ut variis que-  
 rimoniis impatientem animum pro-  
 dat: faciendæ & huic morbo medici-  
 na.

Vllāne præſentior eſſe poſſit eā  
 quam

quam nobis præscribit medicus cælestis? a *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quasi dicat; hæc una virtus est, quæ vos hîc, & in cælo, compositis passionum fluctibus in tranquillam animarum vestrarum possessionem immittet.

Ad hujus virtutis amorem & exercitium, ita nos hortabatur Cyprianus: Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua, & cruenta membrorum vexatio, sit de uxore, de liberis funebris & tristis avulsio; non sint tibi scandala ista, sed prælixa, non debilitent, aut frangant Christiani fidem, sed, potius ostendant in colluctatione, virtutem, cum contemnenda sit, omnis injuria malorum præsentium, fiducia bonorum futurorum. Conflictatio in adversis, probatio, est virtutis, sicut scriptum est, *vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* b Hæc & plura in hanc rem ibidem, Cyprianus.

a *Luc. 21.* b *Ser. de morte,*

Solet

Solet figulus vasa sua primò quidem, fornacis ignibus committere: deinde, àn excocta sint, virgula, vel inflexo saltē digito explorare; quod si sonum clarum & suavem reddiderint; bona, si fuscum aut raucum, mala judicat. Ita Deus olim, vas suū electionis Paulum periclitatus est; spirantem minarum ex equo deiicit, terræ affligit, gravi cæcitatatis virgâ percutit: quid ille, interim? a *Domine quid me vis facere?* Ecquid de sono verum vas electionis agnoscitis? Quid Jobus à planta pedis, usque ad verticem capitis, ulcere pessimo percussus? *Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* O sonum omni vocum instrumentorumque musicorum harmonia suaviorem!

Non ita Ochozias, Rex Samariæ, qui, cum in morbum incidisset, graviterque doleret ex pedibus, ite, ait, consulite Beelzebub, Deum Accaron, utrum vivere possim de  
infr-

a *Act. 9,*

infirmirate hac. Consulite Beelzebub ! ô sonum ingratum nimis & insuavem !

Et Julianus Apostata, lanceâ, incertum unde, transverberatus :  
*Vicisti, inquit Galilae vicisti.*

a — *Sonat & illa vitium percussa,  
malignè*

*Respondet viridi non coacta fidelia  
limo*

Illi nempe, vasa erant in honorem, in pulcherrimo cælestis aulae abaco collocanda : hi verò, vasa in contumeliam, brevi infringenda, & in infernae domus sterquilinum abjicienda : b *Tamquam vas figuli confringes eos.*

Ochoziam imitantur, qui morbis à Deo percussi, Pythones & Pythonissas consulunt, sibi que nescio quibus præstigiis ac superstitionibus illudi patiuntur, sed caveant ne Ochoziæ, cujus impietatem Apostasiamque æmulantur, similem exitum sortiantur.

2. Co-

a *Persius* b *Pf. 2.*

2. Cogitet æger peccata sua pœnas acerbiores promereri, dicatque cum Michea : a *Iram Domini portabo quia peccavi ei.* Vel cum Jobo : b *Pec-  
cavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi.* Et cum Augustino : *Gravius est quod commisi, levius est quod tolero.*

3. Dicat impatientiam non levare, sed aggravare dolorem, & quod magnificandum, tollere meritum magnum : quare ergo pariendi necessitatem non convertit in merendi opportunitatem ? Consilium illud est Chrysofomi, ut patiatur æger cum merito, quod nihilo minus sine merito passurus est.

Vis scire quantum sit patientiæ meritum ? c *Id quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Idem ad Rom. d *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

4. Dicar, unius digculæ laboribus  
a Mich. 7. b Job. c 3. 2. Cor. 4. d Rom. 8.

ribus redimi labores longè graviores, anno toto tolerandos in purgatorio. Et hoc est quod insinuat Ezechiel: *a Diem pro anno dedi tibi.*

Adde hominem, dum hic patitur, non modò luendam in altero sæculo pœnam expungere, sed insuper gratiæ novæ accessionē promereri; post mortem verò, ultrices illæ flammæ ita peccati rubiginem excoquunt, ut gratiæ adjiciant nihil: ibi enim satis patiendi dumtaxat, & non etiam merendi locus est.

3. Quando foruli sive loculi sacris imaginibus vel statuis capiendis, ædiculæ in modum ædificantur, debent & ipsæ imagines sive statuæ loculamentis suis adaptari; proinde dedolari & perpoliti: audi quo modo: *Tusionibus, pressuris expoiti lapides suis coaptantur locis per manus artificis, disponuntur permanjuri sacris ædificiis.* Ubi ergo doloris aculeos senseris; malleos putæ, vel forfices, quibus loco

*a Ezech. 4.*

loco tuo adaptaris. Quid acutas quereris? bene potius ominare de loci, quem in caelo occupaturus es, sive magnitudine, sive splendore.

6. Accidit non rarò, ut tunc maximè, Dominus Deus malleorum ictus ingeminet, cum morti sumus viciniore, videt nimirum opifex faberrimus, operi suo deesse aliquid ad perfectionem, ideoque manum extremam adhibet; tunc consilium divinum, idea sua intervertas? Imitandus est tibi Christus Jesus Servator noster, qui, ubi horam suam ex æterni Patris voluntate advenisse comperit, *a Ut cognoscat mundus, inquit, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. Surgite, eamus: quònam bone Jesu? ad flagella, ad spinas, ad crucem, ad mortem: dictum, factum. Hæc est hora vestra, dixit militibus tortoribus suis; tragediæ quam occæpistis, læctuosum ut so-*

*a Ioan, 14.*

let, in Calvariæ theatro finem imponite, quando ita Patri meo libitum est, vestris ego non tantum jussis & imperiis, verum etiam nutibus exarumissim obsequar, utriusque me accommodabo. a *Aspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Vitæ tuæ sive comœdia, sive tragœdia breviter terminanda est, passio tua, ut sic dicam, tamquam ultimus fabulæ actus instat. Ad sunt præmissi satellites divinæ voluntatis executores: quæris quinam illi? catarrhus ille qui fauces invasit; tussis illa quæ intestina convellit; febris illa tam ardens quæ vires exedit; aqua illa intercus quæ animam repentinè extinguit, arenosus ille calculus tam crudelis, morborum denique alii, numero plurimi, acerbitate singulares, satellites sunt, quibus Deus mandavit de te, nempe ut, tristi licet ministerio suo, passioni sive morti tuæ promovendæ operam prærent.

Mor-

Exod. 250

Mortem, ais, non recusas: cur ergo dolores ministros ejus tanto perere averfari? mortem morbus præcedit, morbum dolor comitatur, morbum doloremque non minus affert naturæ lex atque conditio, quam ipsam mortem: eum ergo qui sive morbo, sive dolori nimium oblectatur, certum est, ait Cicero *a*, naturæ repugnare, quid autem aliud naturæ repugnare, quam cum Diis (dicamus nos, cum Deo) bellare? Tu ergo, si sapias, dolores tuos Christi doloribus, & mortem tuam morti ejus arctissima voluntatum consensione agglutinabis, & quantumvis myrrhæ & aloës calici passionis tuæ admisceat, querimoniis abstinebis, Dicis potius:

Bone Jesu da mihi hanc gratiam, ut in hac qualicumque visitatione tua, fructus & proventus, quem desideras, consequatur; neque impatientia vel ingratitude mea impediat: tuam, spero, manum porriges

*a Lib. de Senect.*

ges in firmo mihi, meque sicut Petrum Apostolum, cum mergi coepisses, ex marinis fluctibus, potenti dextera eripies, ne sub hac cruce labascam & concidam.

## §. III.

*Quomodo Amicus fidelis agrum ius  
vet in tentationibus con-  
tra fidem.*

Compertum habet (ut est astutissimus) animarum nostrarum juratus hostis, nullis machinis & edificium quodvis facilius dirui posse, quam si fundamentum ejus labefactetur: eo enim vel subverso penitus, vel graviter convulso, quidquid tandem fabricæ superstrueretur, vel ex tempore pessum eat, vel cum tempore ruinam trahat necessum est. **A**edificii spiritualis atque ad eam salutis æternæ basis & fundamentum fides est, Christiano homini tam necessaria, ut sine ea frustra salutem

speret : a Sine fide enim impossibile est  
 placere Deo. Idcirco non cessat sty-  
 gius ille Venerator, cuniculos suffo-  
 dere, occultasque moliri insidias,  
 quibus fidem, religionis nostræ ful-  
 cimentum, vel penitus subruat, vel  
 robur ejus ac firmitatem, aliqua sal-  
 tem ex parte labefactet. Eò ergo  
 machinamenta sua omnia dirigit, ut  
 hominem à tutissima fidei statione,  
 in periculosissimum vacillationis  
 pelagus præcipitem agat. Quare per-  
 plexas modò quæstiones, de anima-  
 rum immortalitate, deque corpo-  
 rum resurrectione objicit, modò de  
 sanctissimæ Trinitatis, de Venera-  
 bilis Eucharistiæ, arduisque aliis  
 orthodoxæ fidei mysteriis, quæ om-  
 nia, vel ad diffidentiam, vel ad de-  
 sperationem solitus est detorquere.  
 Vide ergo, quibus armis instructus,  
 cum antiquo hoc & multarum pal-  
 marum gladiatore, in arenam des-  
 cendas. Egregiam olim D. Paulus,  
 in veritatis officina, panopliam pro-  
 eudit, cum diceret Ephesius b *Induite*  
 a *Heb. ii. b Ephes. 6.*

est vos armaturam Dei, ut possitis stare ad-  
 versus insidias diaboli. Præfert deinde  
 veritatis cingulum, lorica[m] justi-  
 tiæ, calceamenta Evangelica, ga-  
 leam salutis & gladium spiritus,  
 quod est Verbum Dei. Sed ego illud  
 armaturæ genus amplector in pri-  
 mis, quod & Paulus ceteris etiam  
 videri possit præferre, ait enim: *In*  
*omnibus sumentes scutum fidei, in quo pos-*  
*sitis omnia tela nequissimi ignea extingue-*  
*re.* Illud, illud est scutum, cui simi-  
 le nunquam habuit, nec vidit *Clypei*  
*Dominus septemplicis Ajax.* Scutum  
 illud Christianum pectus constan-  
 ter obarmet, nullum enim telorum  
 genus, cui non utiliter oppugnatur.  
 Hoc sonant verba illa: *in omnibus,*  
*omnia tela, &c.*

Visus est & D. Petrus armorum  
 sacis suggestisse, dum contra leonem  
 rugientem, induendum hoc fidei  
 scutum indicavit. a *Adversarius vester*  
*Diabolus, inquit, tamquam leo rugiens,*  
*circuit quarens quem devoret, cui resistite*  
*fortes in fide.* Quasi, cum Paulo diceret  
 a 1. Pet. 5. F 2 omni-

omnibus telis nequis sumi igneis, non aliud quam fidei scutum opponite.

Imitandæ nobis sunt pleræque nationes bellica laude celebriores, quæ scuti sui, in bellis, haud paullò majorem quàm vitæ tationem habebant. Lacæna filio in procinctu ad bellum clypeum sinistrae cùm infereret, *Aut in hoc, inquit, aut cum hoc*: perinde erat ac si diceret, vel clypeum hunc vivus referas, vel in hoc mortuus referaris. In militem Christianum melius quadraverit hæc paræmia, ut sensus sit: vel in fide, vel pro fide constans emorere. Neque Romani è bello reduces, patrios unquàm lares repetere ausi forent, *relicta non bene parmula*. Epaminondam (quo nascente, nata; quo moriente, mortuus est gloria Thebanorum) cùm ad Mantineã, rustico nescio quo telo, sparum vocant, lethaliter vulneratus esset, relatusq; in castra, hoc primum à circumstantibus scitatum fecerunt, salvisne esset, clypeus suus: *salvum ut inaudit, afferri jussit,*  
cum

cumque, ut belli socium, victoria-  
 rum triumphorumque consortem  
 exosculatus est: Idē mihi sensu quo-  
 dam sublimiori, facere visus est D.  
 Paulus cum diceret: *a Tempus resolu-  
 tionis meae instat: bonum certamen certavi:  
 cursum consummavi: fidem servavi: i-  
 deoq; reposita est mihi corona justitiae, &c.*  
 Et suum illud impenetrabile fidei  
 scutum miles omnis Christianus, in  
 morte exosculabitur, maximē ubi  
 hæc Imperatoris verba lætus audie-  
 rit: *b Euge serve bone & fidelis, intra in  
 gaudium Domini tui. Vel. c Fides tua te  
 salvum fecit.*

Sit ergo curæ Christiano hoc fidei  
 scutum, neque facilē uratur alio ar-  
 morum genere ad nequissimi tela  
 ignea retundenda. Quod si cum dæ-  
 mone in arenam descendere, & dis-  
 ceptionum telis agere volueris,  
 periisti miser, periisti: impar con-  
 gressus Achilli. Abhinc senis annorū  
 millibus & eo amplius, Stygi meret  
 Veterator ille, ipse unus, bella plura  
 debellavit quā ipse videris, vel au-  
*g1. Tim. 6. b Mat. 23 c. Mat. 23. die-*

dieris : pleni sunt inferorum carceres inconsultis hominibus, qui ausu temerario, periculosam cum eo bellialeam experiri voluerunt. Cave ergo, tu, cave id feceris, alioquin retiarium ille aget illicò, teque intricatissimis quæstionum suarum retibus illaqueabit.

*Vna salus, fugere est, fideiq; opponere scutū.*

Narrari poterit quod à Bellarminus, ex Petro Barrocio Episcopo Patravino refert de duobus, qui in Theologica facultate, inter suos facile principes erant, quorum unus, qui prior è vivis excesserat, alteri superstiti apparuit, seque ideò damnatum asseruit, quod imprudens nimis & temerarius cum dæmone, de fidei dogmatibus disputasset, à quo variis captiosarum quæstionum telis appetitus victus tandem prostratusque esset, & ut fidei exors, ignibus æternis addictus. Alter, alieno malo cautior, diversam agendi cum dæmone viā iniit: percontanti enim, quid de Sacrosanctæ Triadis, quid de incarnati  
*Lib. 2. de Arte bene moriendi. c. 9*      nati

nari Verbi mysterio crederet; quomodo in tribus personis eadem numero esse posset essentia, quoniam mod jungi in vinum possent ea inter quæ nulla esset affinitas, &c. Respondit compendiarid credere se quod credebat Ecclesia: quærenti quid illud esset quod crederet Ecclesia, quod ego, inquit, quid tu porro? quod Ecclesia: quid Ecclesia? quod ego. Imparatus ab hoc disputandi genere tentator, victus ad Orcum rediit: victor alter & triumphator abiit ad cœlum. Monendus æger ut ad hoc exemplar, si necessum est, cum dæmone prælietur.

*Quæcunque è stygia depromet tela phæ-*  
*retra,*

*Hæc, uno fidei, bene fido umbone repellat,*  
*Credo, credo.*

Credo quidquid credit Sancta Mater Ecclesia Catholica & Apostolica, cujus caput unicum, sub Christo, est Pontifex Romanus. Ad hanc veritatis columnã firmiter adhærescat, in hac fidei arce inexpugnabili tutus ac securus acquiescat. F 4 lu-

Juvertit si æger fidei professionem coram testibus & assistentibus emisserit; & jam nunc revocaverit si quid fortè per delirium, ei excideret quod fidei Catholicæ puritatem integritatemque minùs saperet.

Petar ab ægro an non insolito gaudio perfundatur, dum in mentem venit, ea se via ad cœlum contendere, quam suis tritam vestigiis Apostoli omnes, innumeri Martyres, tot Doctores, Confessoresque jam inde à primis Ecclesiæ nascentis incunabulis, constantissimè retinuerunt? quis ambo, de ejus religionis, aut fidei veritate superesse possit metus aut dubitatio, pro cujus assertione tot Martyres tantum sanguinis profuderunt? quamque tot signis ac portentis innumeri Confessores illustraverunt? Si testimonium hominum & talium hominum non accipimus, testimonium Dei majus est: *Hic est filius meus dilectus*, inquit Pater æternus, *ipsum audite*: quid ille? fidei nostræ articulos prædicari jubet.

bet, additque: a *Qui crediderit & bap-  
tizatus fuerit salvus erit: qui vero non  
crediderit, condemnabitur.*

Dicat quispiam. Tam intricata  
sunt subinde tamque sublimia, quæ  
credenda fides proponit, ut rationis  
limites omnes prætergredi videan-  
tur, adeò ut qui fidelis esse velit, vi-  
deri possit desinere esse ratione præ-  
ditus. Fallere mi homo, fallere: non  
prætergreditur, sed supergreditur  
rationis limites Catholica fides. Et  
verò, quid rationi magis consenta-  
neum quam ut rationem suam Deo  
suo subjiciat homo? In naturalibus  
iisque plurimis, quæ quotidie oculis  
nostris obversantur, turpiter cæcu-  
tis ac hallucinatis, & in divinis non  
offendas? nusquam incurras?

b *Si terrena dixi vobis, ait Servator,  
& non creditis, quomodo si dixerò vobis  
caelestia credetis? verum enim verò tan-  
tum abest ut sublimia illa quæ dicis,  
intellectu comprehendere jubea-  
mur, ut etiam illa operosius investi-  
gare prohibeamur. Credere jube-  
Mur, a Mar. 16. b Ioan 3. F 5 mur,*

mur, inquit Innocentius, investiga-  
re prohibemur. a *Altiora tene quasie-  
ris*, ait Ecclesiasticus, & *altiora te ne  
scrutatus fueris: sed qua praecepit tibi Deus  
illa cogita semper, & in pluribus operibus  
ejus ne fueris curiosus*. Mirum sanè ser-  
vos tumidos & insolentes, audere  
nisi remeratio irrumperere in pene-  
tralia divinorum secretorum, cum  
clamet Apostolus: b *O altitudo divi-  
tiarum sapientia & scientia Dei: quam  
incomprehensibilia sunt iudicia ejus,  
& investigabiles via ejus!* Metuen-  
dum illud: *Qui scrutator est Maje-  
statis, opprimetur à gloria*. Talis genii  
ac ingenii homines nactus hostis an-  
tiquus, in extremo vitæ termino  
exagitat, quæ stiunculasque multis  
triticis implicatas objicit. Itaque vin-  
cula sibi parant sublimium myste-  
riorum curiosi indagatores, quibus  
constringantur in supremo vitæ ar-  
ticulo, nectunt funes, catenas fabri-  
cant, quibus arctius obvinctantur.

In ijs quæ ad fidem pèrtinent, con-  
sultissimum, est B. Petri consiliu[m]  
a *Cap. 3. b Rom II.* audires

audire: a Sicut modò geniti infantes rationabile, sine dolo, lac concupiscere. Fidei mysteria lac vocat quod veteri no-voque Testamento, quasi geminis Ecclesiæ uberibus, continetur. Quemadmodum pussio recens natus, maternis uberibus inhiat, apprehensisque inhæret fervidus, sugens avidissimè quod non videt: immò, nescio quo naturæ impulsu, clausis subinde oculis, perinde atque si diceret matri suæ satis se credere, de cuius in se amore non dubitat. Hoc agat & Christianus; inquit Petrus, claudat intelligentiæ suæ oculos, turgentibusque candidissimo fidei lacte maternis uberibus instet, fervidus juxta ac securus. An mater, quæ filii uteri sui oblivisci non potest, poterit fallere? &, prò nefas! venenum pro lacte propinare? fidat bonitati ejus, fidat amori, &, quod primò dictum oportuit, Spiritus S. qui illam regit & gubernat, fidat sapientiæ. Sed age, fac posse, quod fieri nullo modo potest, fac,

a 1. Pet. 2.

fac,

fac inquam, Matrem tuam Ecclesiam tibi imposuisse; tene ideò damnatum iri existimes? qua fronte Christus justus iudex damnet te ob fidem habitam sponsæ suæ, cui, ne deneges, æternum anathema interminatur? quanta animæ fidelis securitas, quanta consolatio! cui fas est dicere Deo suo: Domine Deus, si credendo fidei nostræ articulis deceptus sum, tu me decepisti, tu, inquam, & Ecclesia sponsa tua mater mea. Felices nos! ait Tertull. quorum fidem ut astrueret Deus Opt. Max. suam ipse (etiam interposito jurejurando) oppigneravit.

Quid multis? remediorum præsentissimum est oratio. Restabat, inquit Augustinus, aliud nihil in tantis periculis, quam ut Divinam Providentiam lacrymosis & miserabilibus vocibus, ut mihi opem ferret, deprecarer, atque id sedulò faciebam. Itaque cum Apostolis clamandum: a Domine adauge nobis fidem. Et a Luc. 17. cum

PARS PRIMĀ.

cum Psalmista : a Illumina Domine oculos meos , ne unquam obdormiam in morte ; ne quando dicat inimicus meus : pravalui adversus eum. b Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Interdum ubi vehementior erit tentatio, clamare poterit : Domine vimpator: responde pro me Vade Satana, vade Satana: abrenuncio tibi Satana , Et adhareo tibi Christe. c

Credo quidquid dixit Dei Filius,  
Nihil hoc verbo veritatis verius,  
Fac me tibi semper magis credere,  
In te spem habere, te diligere  
Credo, spero, amo.

§. IV.

Quomodo Amicus fidelis animet agrum  
contra diffidentiam.

**V**bi tentator nequissimus, tela sua  
omnia, licet ignea, fidei clypeo  
excepta, vel retusa, vel sine ictu esse  
videt;

a Psalm. 12. b Marc. 9. c Matt. 4

NO AMICI FIDELIS

videt; astu novo languentem impe-  
 rit, quemque solitis artibus non po-  
 suit in infidelitatē, novo molimine  
 pertrahere nititur in diffidentiam:  
 diffidentiam autem? immò etiam in  
 desperationem; præsertim si vita e-  
 jus antea facta fuerit inquinatior, sce-  
 leribusque gravioribus contamina-  
 ta: cuncta enim quæ, vel à puero pa-  
 trata sunt, in memoriam revocat,  
 itaque eorum gravitatem exaggerat,  
 ut tristitiã metuque horrendo mori-  
 bundum exanimet, & nisi, Deo bo-  
 no, Amicus fidelis citò citò suppe-  
 ctias ferat, veniæ spem omnem inter-  
 cidat.

Adeat ergo celerrimè Amicus fi-  
 delis, & primam hanc diffidentia  
 morbo medicinam comparet. Pro-  
 stat illa in Basilii & Augustini offi-  
 cinis, inde, si volet emere poterit vel  
 „ mutuari. Ille, ita ait: Si peccata &  
 „ magnitudine & numero possint  
 „ definiri, miserationes autem Dei,  
 „ neque magnitudinis, neque nume-  
 „ ro possint circumscribi, sine dubio

NON

non est cur desperatio adhibenda,,  
 fit, sed agnoscenda Dei misericor-,,  
 dia, & commissa peccata detestan-,,  
 da. Hic autem, ô homo, quicum-,,  
 que illam peccatorum multitudi-,,  
 nem attendis, cur & potentiam,,  
 cælestis Medici non attendis? cum,,  
 enim Deus velit misereri, quia bo-,,  
 nus est, & possit quia omnipotens,,  
 ille contra se divinæ bonitatis ja-,,  
 nuam claudit, qui Deum sibi mise-,,  
 reri aut non velle, aut non posse,,  
 credit, eumque aut bonum aut om-,,  
 nipotentem esse diffidit. Quis non,,  
 speret in Deum, qui non tantum mi-  
 sericors & miserator est, sed & ipsa  
 misericordia? *a Dominus misericordia  
 mea, canit David, cujus hæc suavissi-  
 ma vox est: b Felix qui non habuit animi  
 sui tristitiam & non excidit spe sua.*

Dubitanti de sua salute, revocan-  
 da sunt in memoriam, & altè impri-  
 menda verba illa Apostoli: *c Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: quæ*

● G 2

aili-

*a Psalm. 15. b Eccl. 15. c Rom. 5.*

diligenti mentis trutinâ, æstimans  
 ,, Augustinus, ita exclamat: Quid  
 ,, misericordius intelligi potest  
 ,, quam ut peccatori, æternis tor-  
 ,, mentis damnato, & unde se redi-  
 ,, mat, non habenti, Pater dicat, ac-  
 ,, cipe unigenitum filium meum &  
 ,, da pro te: & ipse filius dicat, tolle  
 ,, me, & redime te. Quid justius  
 ,, quam ut Pater æternus peccatum  
 ,, dimittat illi qui pro debito suo of-  
 ,, fert pretium & pretium majus o-  
 ,, mni debito, quale est pretium san-  
 ,, guinis & mortis Domini?

Dicitur magnus ille Albuquer-  
 tius, cum in Indica navigatione, facta  
 admodum tempestas exorta esset, ni-  
 hilque jam propius esset quam ut  
 naufragium faceret, puerulum in  
 humeros sustulisse, ut animula illi-  
 us innocentis contemplatione, Del-  
 iram ad clementiam ac misericordi-  
 am inflecteret, illiusque inter se cæ-  
 lumque, opposita, tamquam clypei  
 cujusdam fortissimi, imminerent  
 capiti tempestatem resisteret.  
 Quid,

Quidni illum imitaris? ostende Patri  
æterno Filium ejus pro te flagella-  
tum, crucifixum, mortuum, & dic  
ei: *Protektor noster aspice Deus & respice in  
faciem Christi tui, in quo semper complaci-  
tum est tibi, cujus amore & contemplatio-  
ne miserere mei.*

Adhucne de salute restat dubita-  
tio? *Spera in Deo, & salvaberis. Salvos  
enim facit sperantes in se; & idè salva-  
bit, inquit a Psalmista, quia sperave-  
runt in eo. Dulcis causa, attamen effi-  
cax, attamen irrefragabilis, ait Ber-  
nardus, fundata nempe super chari-  
tate illius, qui sic dilexit h mundum,  
ut ei filium suum unigenitum daret;  
ut omnis qui credit & sperat in eo,  
non moriatur, sed habeat vitam æ-  
ternam; unde Paulus: c Fortissimum  
solacium habemus qui confugimus ad tu-  
endam propositam spem, quam, sicut an-  
choram habemus animæ, tutam & fir-  
mam; qua, nempe anchora, fluctuan-  
tis animæ naviculam medios inter  
tentationum fluctus titubantem*

G 3

COB7

a Psalm. 36. b Ioan. 3. c Hebr. 6.

confirmemus. *a Nolite itaque amittere confidentiam vestram qua magnam habet remunerationem.*

Magnus ille Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius, id unum verabatur maximè, ne quando illum de affutura sibi Dei ope caperet confidentia. Solet Deus misericordias suas super nos fiducia nostræ in illum mensura remetiri: hinc Propheeta Regius; *b Fiat misericordia tua Domine super nos; quemadmodum speravimus in te; id est (ut Theodoro placet) secundum spem nostram fiat nobis: sive, spes nostra in te, sit mensura misericordiarum tuarum in nos; & ut quisque in Dei fiducia maximè promoverit, ita maximos suavissimosque fructus ejus experiatur. Præsidentem habeo Bernardum sermone 32. in Cantica, ubi ait: quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis.*

Superestne tibi alius qui mentem  
angatur

*a Hebr. 10. b Psalm. 52.*

angar, timoris scrupus? Audio. *a* *Multiplicati sunt, ais, qui oderunt me: b* *calcaneum meum, vereor, observabunt.*

Præsto est Helix ad Elizeum responsio. *c* *Plures nobiscum sunt quam cum illis.* Præsens in primis aderit, luctantique servulo suo opem feret virago illa generosa, hostibus tuis terribilis ut castrorum acies ordinata. Aderit & Archangelus Michaël princeps à Deo constitutus super omnes animas suscipiendas; Angelus verò qui te jam inde à primis unguiculis in fidem ac tutelam suam accepit, ita tibi continenter aderit, ut ne latum quidem unguem à latere uno unquam discedat.

Aderunt & Patroni cælités, præsertim quos honore cultuque præcipuo deveneratus fueris. Taceo ex Hierarchiis, Ordinibusque Sanctorum innumeros alios, tam de salute nostra sollicitos, quam de sua jam securos.

● G 4

Tan-

*a* Psalm. 37. *b* Psal. 55. *c* 4. Reg 6

*a* Tantummodo confidenter stare, dicebatur olim populo Dei, & videbitis auxilium Domini super vos. Idem tibi dictum puta. Audio quid rursus objicias: timere te iudicium illud, quod absque ulla temporis intercedente, mortem ipsam subsequetur; ubi æqual lance, causam momenta expendet Iudex ille, in cuius manus incidere horrendum est.

Si malè tibi à Iudice metuis, quare de Advocato tuo melius non ominaris? qui enim Iudex idem & Advocatus, *b* Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ille est ad dexteram Dei, inquit Paulus, qui etiam interpellat pro nobis: Ullusne de Advocati talis fidelitate dubitandi locus! *c* Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?

Age igitur, & si à Iudicis tribunali vindicias metuis secundum servitutem; ad propitiatoris, dum adhuc licet,

*a* 2. Paral. c. 20. *b* 1. Ioan. 2. c. Rom. 8.

licet, tribunal provocas, & dubio  
 procul, ab eo vindictas accipies se-  
 cundum libertatem: ipse enim, a sa-  
 ctus est nobis justitia, sanctificatio, & re-  
 demptio. Dic fidenter: Domine JESU,  
 pone crucem tuam inter iudicium tuum &  
 animam meam, & salvus ero. Dic cum  
 B. Anselmo: Domine, si puritatem  
 meam mihi ademi, numquid miseri-  
 cordiam tuam peremi? si commisi  
 unde me damnare posses, tu non ami-  
 sisti unde salvare soles; propter te-  
 meripsum miserere mei.

Scis quid de Deo Jobus diceret?  
 Etiam si me occiderit, in eo sperabo. Dic tu  
 saltem cum Davide. c Ad te Domine  
 animam meam levavi, Deus meus in te  
 confido non erubescam: quis enim speravit  
 in te, & confusus est?

d Si consistant adversum me castra, se  
 exurgat adversum me praelium, in hoc ego  
 sperabo.

e Si ambulavero in medio umbrae mor-  
 tis,

a 1. Cor. 1. b Job. 13. c Eccl. 2. d  
 Psalm. 26. e Psalm. 22.

ris, non timebo mala: quoniam tu mecum  
es.

22 Tributarex (canit Ecclesia) si nesci-  
22 rem misericordias tuas Domine: tu di-  
22 xisti, nolo mortem peccatoris, sed  
22 ut magis convertatur & vivat.

22 Qui Chananzam & Publica-  
22 num vocasti ad pœnitentiam, ne  
22 despicias clamantem ad te, & in  
22 multitudine miserationum tua-  
22 rum sperantem.

Rex tremenda Majestatis,  
Qui salvandos salvas gratis,  
Salva me fons pietatis.

Recordare, Iesu pie,  
Quod sum causa tua via,  
Ne me perdas illa die.

Quærens me, sedisti lassus,  
Redemisti, crucem passus,  
Tantus labor non sit cassus.

Qui Mariam absolvisti,  
Et latronem exaudisti,  
Mibi quoque spem dedisti.

Preces mea non sunt digna,  
Sed tu bonus fac benignus.

*Ne perenni cremer igne.*

*Inter oves locum presta,*

*Et ab hœdis me sequestra,*

*Statuens in parte dextra.*

*Confutatis maledictis,*

*Flammis acribus addictis,*

*Voca me cum benedictis.*

*Oro supplex & acclinis,*

*Cor contritum quasi cinis,*

*Gere curam mei finis.*

## §. V

*Quomodo Amicus fidelis, iuvet a-*  
*grum, ad repellendam vanam*  
*gloriam & presumptio-*  
*nem.*

**Q**uemadmodum Divinus Spon-  
sus, ad animæ nostræ, sponsæ suæ  
præsentiam, desideriiis iustus fidelibus,  
anhelat; ideoq; stat, modò ad osti-  
ejus, & pulsat, ut intret; modò demit-  
tit sese & curiosis oculis introspicit,  
sive per fenestras, sive per cancellos,

G 6

ue

ut eam vel éminus saltem contem-  
pletur : ita animæ ejusdem procus  
impudens ac perfidus Cacodæmon,  
plenissimis odii ac invidentiæ oculis  
rimatur omnia, quærens non quam  
amet, sed devoret. Urbium expug-  
natores imitatur, primum enim om-  
nes explorat aditus, ut per eum  
quem debiliorem minusque muni-  
tum repererit, irruptionem parat: il-  
luc arietis, aggeres, machinasque ô-  
mnes convertit : quod si machinis  
parum proficit, cuniculos abscondit  
remque suam agit clanculum : *An  
dokus, an virtus, tali quis in hoste requi-  
rat?*

Vidisti superiori paragrafo, leo-  
ninam rabiem, vidisti machinas,  
quibus moribundos in horrendum  
desperationis barathrum præcipita-  
re conatus sit; vide modò vulpem  
vaferrimam, villosò caudæ blandi-  
entis syrmate blandientem. Bene est:  
egregium te hæctenus fortemque in  
sufferendis exantlandisque labori-  
bus præbuidisti; quid restat, nisi ut læ-  
tus;

us, diviniq̄ue iudicii securus, ad  
beatorum quietem palmamq̄ue ad-  
spires?

Ecquid advertis lubricos sterni  
gradus, quibus in superbiæ pinnacu-  
lum attractus, lapsu graviore corru-  
at? ita nimirum assolet quos scele-  
rum pondere deprimere non potest,  
propriæ existimationis alis atollit.  
Quam enim prona, quam proclivis  
sit ad ruinam via illa, non ignotat,  
vel suo ipsius, vel suorum præjudi-  
cio. Quare & adversus hoc non leve  
discrimen muniendus est ægrotus.

Quemadmodum adversus despe-  
rationis charybdim, bonum est, ut  
quò magis Satanàs hominem depri-  
mit conscientia scelerum, hoc se ma-  
gis erigat fiducia divinæ misericor-  
diæ, ita jam adversus arrogantiam  
Scyllam, præsens erit remedium, si  
de se demissimè sentias, considera-  
tione propriæ imbecillitatis.

Valebunt etiam opinor, ad retun-  
denda vanitatis ac fiduciæ propriæ  
jacula, quæ passim sacris in codici-

bus repetiuntur ad divinum timorem altè mentibus imprimendum; audi quid minetur Ecclesiasticus: *a*  
*Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua: fabrica videlicet virtutum in animo tuo ædificata, valido superbix vento concutietur.*

Cùm in hunc alterum *b* Ecclesiastici locum incidisset D. Bernardus: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Terribilis est, inquit, locus iste, & totius expertis quietis: totus inhorruì, si quando in eum raptus sum. Quòd si hæc cogitatio vel sanctissimos viros, & quasi columnas in Ecclesia, compulerit ad tremorem, quid nobis faciendum, qui ex multis antea actæ vitæ sceleribus responsum mortis in nobis habemus?

Quis nostrum dicere audeat cum Paulo: *c* *Nihil mihi conscius sum?* ut ita sit, addat tamen cum eod: *m* *necessum est, Sed non in hoc iustificatus sum:*  
*alia*

*a Eccl. 27. b Eccl. 9. c 1 Cor. 4.*

*alia enim sunt iudicia Dei, alia hominum; & terribilis est a illa Divina Majestas in consiliis super filios hominum*

Quis Jobo sanctissimo, patientiâ, & vitæ integritate comparandus: dicebat tamen: *Vererebar omnia opera mea, sciens quòd non parcere delinquenti: quare omnia? an non aliqua ialtem bona, quæ Divinæ Justitiæ stateram non reformident? Etiam si habuero aliquid iustum, non respondebo, inquit, sed meum iudicem deprecabor, quia si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: c si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Ecce luna non splendet, & stella non sunt munda in conspectu eius: quanto magis homo purredo, & filius hominis vermis?*

Quod si igitur, ob constanter fortiterque toleratos morbi dolores vanæ gloriolæ animam, vel levis aura afflaverit, dic cum Psalmista:

*Verum-*

*a Psalms. 65. b Job. 9. c Job. 25.*

*a Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.*

Si urgeat Dæmon, dicatque: Deo quidem, imprimis laudem & honorem bonorum operum deberi; in te nihilominus aliquam gloriæ ejus partem ideò derivari quod gratiæ ejus cooperatus sis.

Responde cum *b* Augustino: Aperuisti mihi oculos lux & excitasti, & illuminasti me, & vidi quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificetur omnis vivens: quoniam si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Et idem, alibi: *c* Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. Quæcunque adsint bona opera, nulla sunt, inquit Gregorius, nisi humilitate condiantur; miranda quippe actio cum elatione, non elevat

*a* Psalm. 61. *b* Augustin. soliloq. c. 15  
*c* Epist. 52. ad Macedonium.

vat sed gravat: qui enim sine humili-  
tate virtutes congregat, quasi in  
vento pulverem portat, ut unde ali-  
quid habere cernitur, inde deterius  
excatur.

Arrogantis est animi, & plus æ-  
quo sibi vindicantis, in propria cau-  
sa agere velle Judicem. Qui judicat  
me Dominus est, inquit Paulus: *Ille, ille constitutus à Deo Patre Iudex u-  
niversorum.* Minimò ferenda esset e-  
jus militis insolentia qui Regis sui  
iudicium praverteret, sibi que ante  
belli finem, coronam ac triumphum  
decerneret. Perinde facere censen-  
dus, qui ante ultimam vitæ perio-  
dum, de Carne, de Mundo, de Dia-  
bolo victoriæ sibi palmam pollice-  
tur: quamdiu hostis insidias & dolos  
meditatur, quæ potest esse securi-  
tas? Magnus esse unusquisque stu-  
deat, inquit Gregorius, sed tamen  
aliquo modo magnum se esse nesci-  
at: ne dum sibi magnitudinem arro-  
ganter tribuit, amittat intus quod  
erat;

2 Actor. 10.

erat; hinc per *a* Prophetam dicitur:  
 vā qui sapientes estis in oculis ve-  
 stris, & coram vobismetipsis pruden-  
 tes.

Ad detorquenda gloriæ inanis spi-  
 racula, monendus æger, ut vitæ  
 præteritæ flagitia graviora, sæpius-  
 que iterata, in memoriam reducat,  
 maximè cum ignoret an sufficienti  
 ea pœnitentia diluerit, debitasque  
 pro eis pœnas hæctenus Deo persol-  
 verit. Ita admonet *b* Ecclesiasticus:  
*De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Cum multa sint sacris in Codici-  
 bus, tum duo præsertim loca, mihi  
 videntur peropportuna, in quibus  
 luce meridiana clarius appareat,  
 quàm nulla sit nobis ratio de operi-  
 bus nostris etiam optimis, glorian-  
 di. Primum habetur Lucæ 17. ubi  
 allata servi parabola, Domino suo  
 gnæviter in multis ministrantis, ait  
 Christus, Dominum non habere illi  
 gratiam, quia nimirum nihil præ-  
 stitit ad quod servitus, aliisque  
 nomi-

*a* Esa. 5. *b* Eccl. 5.

nomnibus non obligaretur, & tandem ita concludit: *Sic & vos, cum feceritis omnia qua praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debui- mus facere, fecimus.* Quotusquisque nostrum est, qui ex vero conscientiae mentis dictamine asseverare audeat, quae sibi à Deo praecepta erant, examussum praestitisse omnia? ut ita esset, fatendum nihilominus illi esset, juxta Christi placitum, *Servi inutiles sumus.* Deus bone, si servi inutiles, qui Domini sui mandatis omnibus diligenter obsecuti sunt, quid nobis fiet? tibi, inquam, & mihi, nostri- que similibus, qui, tantum abest ut Dei leges ac praecepta exactè servaverimus, ut etiam plurima, neque rarò, neque leviter violaverimus? *Sed dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est,* ait Joannes, Jacobus verò: *a In multis offendimus omnes.* Quænam igitur usquam gloriandi materia nobis reliqua facta est? *b Va vna, etiam laudabili,* inquit Augu-

*a Iacob. 3. b Lib. 9. Conf.*

Augustinus, *si sine misericordia discutiatur eam.*

Locum alterum suggerit a Isaias: *Facti sumus, inquit, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra. I modo, & si absque animi, itomachive nausea potes, de egregia illa merce, gloriare.*

a Isa. 64.

§. VI.

*Quomodo Amicus fidelis, inducere agros possit ad eliciendos actus, divini amoris.*

**A** Gemodò mi Amice, nunc animis opus: nullo modo committendum, ut animus simul cum corpore infirmetur: immò agrotante corpore valere debet animus solito melius: a *Nam virtus in infirmitate perficitur, ait Paulus, & cum infirmor tunc potens sum. Benè igitur & tu feceris, si vires exeras, & quam poteris pluri-*

a 2. Cor 12.

plurimos fidei, spei & charitatis actus elicias, potissimum autem charitatis.

Dicamabo, si Dominus Deus à te modo, quod olim à D. Petro peteret, N. amas me? auderésne respondere sicut ille, *Domine tu scis quia amo te.* O ter felices, qui sibi tantum de se meritò habent polliceri! utinam vel hoc saltem ex vero dicere possim: Domine tu scis quia desidero te amare.

Quid est quamobrem tam parum amore Dei nostri inardescimus? in promptu causa est, quia quot quantisque nominibus amandus sit, ignoramus.

— *Ignoti nulla cupido.*

Dicere solebat Plato, virtutem si oculis corporeis cerneretur, mirabilem sui amorem animis intuentium excitaturam fuisse: quanto maiorem Deus ipse virtutem excitaret, si videretur! si pulchritudo illa, si bonitas, sapientia, maximè autem si chari-

a Ioan. 21.

charitas illa infinita, quâ nos ab æterno, persecutus est, si, inquam, e charitatis illius imago, alicujus e cælitibus, rudi saltem peniculo informata, oculis nostris objiceretur, Deus bone! quas faces, quos ignes, quæ amoris incendia excitaret! amoris hujus immensitatem momentis suis, quantum mortali fas, expendat discipulus ille quem diligebat Jesus, cum diceret: *a In hoc est charitas, id est, illa demum est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* et ne sterilem illam putarem, fructum subjicit: *Et misit filiū suū propitiationē pro peccatis nostris*; hinc illa dignissima sequitur illatio: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Non potest amor, & talis præsertim amor, compensari, nisi amore. Amare si piguit, ah! pudeat non saltem redamare. Illationis hujus necessitatem, qua erat ingenii perspicacitate, pervidebat Augustinus, cum ita

se

a 1. Ioan. 4.

se ipse incusaret: serò te amavi,,  
pulchritudo tam antiqua, & tam,,  
nova, serò te amavi: væ tempori,,  
quando te non amavi. ,,

Dicebat idem Doctor, vel cæcum  
esse, vel certè cæcitate percutien-  
dum, qui tantam divini amoris pul-  
chritudinem non amaret. Ajunt è  
Turcarum gente, nonnullos inter-  
dum, tanto in Mahometem suum a-  
moris æstu ferri, ut si contigerit eos  
sepulchrum adspicere, quod summæ  
fœlicitati adscribunt, non vereantur  
oculos sibi eruere, ne quibus tanta  
fœlicitas ominatò obtigit, ut rem  
tam divinam (ut ipsi autumant) aspi-  
cerent, cogantur postmodum res vi-  
les & abjectas, quales sunt res hujus  
mundi, intueri. Si hoc illi designant  
in se, tam crudeliter impii; Tu sal-  
tem in hoc tempore, mentis oculos  
aperi, quibus tandem videas, quan-  
ta tibi incumbat necessitudo divi-  
nam illam bonitatem, sapientiam &  
amorem redamandi. Id ubi præsti-  
teris, rebus omnibus hujus mundi  
oculos

oculos claudas licet, & id unum stus  
deas cum Jobo, ut ad vivendum jam  
mox servatorem tuum te compares.

Ut ad amandum Deum tuum ac-  
cendaris, jam inde usque à primis  
unguiculis vitæ tuæ exordia rete-  
xenda sunt; & videbis vix ullum esse  
temporis momentum, in quo certifi-  
sima divini erga te amoris vestigia  
consignata non sint: ut enim de pe-  
riculis aliis taceam, quibus ejus ope  
perfunctus es, ubi esset jam anima  
tua, si te, tali loco, tali occasione &  
periculo emori contigisset? Est sane,  
est unde cum Heremia lacryma-  
bundus, imò verò gratulabundus  
exclames: *a misericordia Domini quia  
non sumus consumpti.* Forsitan & de te  
scitabatur Zacharias admirabundus:  
*b Numquid non iste torris est erutus de  
igne? inferni scilicet, in quo culpa-  
rum æstu ambulatus, restabat nihil  
nisi ut pœnarum etiam flammis cõ-  
bureretur. Et non amabis? redama-  
bis, inquam, illum, qui tibi in tali  
neces-*

*a Thren. 3. b Zach. 3.*

necessitatis articulo tam opportunè  
 auxiliatus est? Quidni dicas cum,  
 Bonaventura? Undique me cir-  
 cumdat amor, & nescio quid sit,  
 amor, quomodo non sum totius,  
 cōversus in amorem tuum? Quid-  
 ni etiam cum Psalmographo: *Tibi*  
*dixit cor meum: exquisivit te facies*  
*mea, faciem tuam Domine requiram.*  
 Quidni iterum cum Augultino:  
 Amo te Domine, & si parum est,  
 istud, amem te validius. O ignis,  
 qui semper ardes & nunquam ex-  
 tingueris: ô amor qui semper ser-  
 ves, & nunquam tepescis, accen-  
 dat totus abs te, ut totus diligam  
 te.

*Alia Orationes pro obtinenda  
 Charitate.*

Domine Jesu, tu dixisti: Diliges  
 Dominum Deum tuum, ex toto cor-  
 de tuo, ex tota anima tua, & ex tota  
 mente tua, & ex totis viribus tuis:  
 auge ergo gratiam tuam, auge cha-  
 rita-

H

rita-

sitatem in me, ut sicut tu vis diligere me, & ego cupio diligere te, sic ego te diligam: & quod in hac vita perfectè implere non possum, in æterna te concedente, implere valeam.

Domine Jesu Christe, qui perpetua charitate dilexisti me, quâ, cum non essem, creasti me, quâ, cum perditus essem, reparasti me: quâ, cum propria culpa toties periissem, ad gratiâ vitam resuscitasti me: quâ, te ipsum dedisti mihi: si me totum toties debeo pro me, quid debeo pro te, qui in infinitum melior es me: adde hoc beneficiis tuis Deus meus, ut sine modo, & purissimo amore diligam te, nunc & in sempiternum. Mellitissime Jesu, absorbeat mellisua vis amoris tui, animum meum ab omnibus quæ extra te sunt, ut omnibus jam planè rebus amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

## §. VII.

*Quomodo inducendus est ager, ut Dei amore, dolores & alia morbi incommoda perferat.*

**O**Re professus es mi Amice, te Deum tuum amare, aut saltem amare velle; visne jam nosse quomodo amorem illum tuum re ipsa palam testari possis? Audi quid Doctor a unus ex antiquis in hæc Canticorum verba: *Ascendam in palmam.* Voluntas, inquit, patiendi, probat quia veraciter amat, & tantò est amor altior, quantò ad patiendum paratior. Et Ambrosius lib de Offic. *Vbi, inquit, amor est, querela non est, ubi querela est, amor non est.* Ex Anselmi enim sententia: *Amori sancto omnia sua via sunt.* Unde illis suavitas? Respondet Bernardus? *Condimentum,* inquit, *humani generis est amor.* Quasi diceret: *amorem rebus omnibus*

H 2

quan-

a Origenes,

§. VII

quoniam vis amaris acerbiter  
amarorem que omnem abstergere.

*q.* Numquid adheret tibi sedes iniqui-  
tatis, qui pingis laborem in praecepto? Non  
dura tibi necessitate servitur, ubi di-  
ligitur quod iubetur. Vide ergo A-  
mice mi, qui te geras in hoc morbo;  
ad hunc quasi lydium lapidem, amo-  
ris tui sinceritatem explora: *Vbi amor  
est, querela non est, ubi querela est, amor  
non est.* Si de eo quereris, non amas;  
si non quereris, amas: ita enim do-  
lores tuos suavissimo amoris sapore  
condivisti nullum ut doloris sensum  
expresserint.

Patriarcha Jacob, quatuordecim  
ipso annos servitutem servavit, sanè  
duram, noctu enim, & interdium, ca-  
lore geluque, ut apud socerum ex-  
postulabat, utebatur: & tamen vide-  
bantur illi pauci dies, præ amoris  
magnitudine. An ignoras Patrem æ-  
ternum, Rachelem cœlestem, in-  
quam, Jerusalem, laboribus tuis spon-  
spondisse! & tu si sapias pulchritudi-  
nis

*2. Psalm. 63.*

nis illius contemplatione dolores tuos mitigabis, dicesque subinde cum Augustino: *Mater Ierusalem Civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat, cor meum, pulchritudinem tuam amat, cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat anima mea.*

Stephano protomartyri, torrentis lapides dulcescebant, unde illa dulcedo ex illo divini amoris fovea, qui vel ex oculis, posteaquam caelum suspexerat, profusiebat.

Sebastianum fortissimum Christi pugilem, jaculis innumeris oblitum, histricem dices, vidisti: gaudet tamen, Deique sui laudes concinit, quidam quia divus amor, ut olim Augustini, sagittis amoris cor ejus sagittaverat, sagittarumque aliarum acumina vel retuderat, vel hebetaverat.

Ecce tibi super ardente craticula, Tyrannis insultat levita Christi Laurentius; tamque sensus & doloris expertus est in nomine gentium, sed, quod

H 3 obser-

2 Augustinus medit. c. 25.

observavit S. Leo, *Segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit.*

Quando tandem Sanctorum scientiam linguamque addiscemus? Rubore suffundor, ait Bernardus, cum in mentem venit quo me Deus meus amore persecutus est.

*Vbi amor, ibi dolor*, dicebat Richardus à S. Viêt. *Aut pati, aut mori*, dicebat S. Theresia; ac si diceret cum Bonaventura: *Sine vulnere, nec volo, nec possum vivere, cum adspicio Deum meum pro me vulneratū*. *Hac sit mihi consolatio*, dicebat patientissimus a Jobus, *ut affligens me dolore non parcat*.

Augustinus Segala, è Societate Jesu Paduæ, cum siti ardentissima cruciaretur, eamque oblato potu sodales nonnihil temperare cuperent: *Misericordiam*, inquit, *& iudicium cantabo tibi Domine*. Satis diu luxi ubera divinæ misericordiæ; experiantur peccata mea amarorem iudicii.

O quam suave malum cui tantum succedit bonum! clamabat S. Franciscus

a Job. 6.

Sancta

Sancta Clara, Francisco Doctore digna discipula, asseverabat, ex quo scientiam Sanctorum ab eo didicerat, laborem nullum gravem existimasse; pœnam nullam acerbam, morbum nullum molestum, multos licet triginta annorum decursu experta esset

Sancta Maria Ogniacensis, quocumque tandem ex morbo laborantibus non tam miserebatur, quam invidebat, dicebatque se nullum hactenus tam graviter affectum reperisse, cujus ipsa dolores & cruciatus ex animo non depoposcisset.

*a* Bonus servus studet reparare pretium quod pro se persolvit Dominus, inquit Ambrosius, sanguinem solvit Dominus, sanguinem debes. Quid ergo quereris? nondum usque ad sanguinem restitisti.

Ss. Chrysostomus & Augustinus, ajunt Christum Dominum descendere de Cruce noluisse, ut nobis de se, constantis patientiæ exemplum

H. 4.

lucu-

*a Lib. 3. de Virg.*

luculentissimum exhiberet, ejus  
contemplatione & nos in cruce no-  
stra generosè moremur, nec alià  
atque ipse vià cœlum affectaremus.

## CAPUT IV.

*Actus virtutum ab infirmis ante  
agonem sapiens excitandi.*

§. I.

*Actus Contritionis.*

**B**one Jesu, dolet mihi ex animo,  
quod ego te, Dominum meum &  
Deum meum, super omnia diligend-  
um, tam graviter offenderim. Fir-  
miter propono, speroque juvante  
gratia tua me de hinc ita victurum,  
ut te amplius non offendam. Me mi-  
serum? itane cœcus & amens fui, ut  
voluptatem hanc N. amorì & hono-  
ri tuo anteponerem? Parce, ô parce  
mihi benignissime Jesu, per pretio-  
sum sanguinem, quem pro tam in-  
digno,